AUTHOR:

FINSTERWALDER, CARL

TITLE:

DE CONIUNCTIVI
ET OPTATIVI

PLACE:

IENAE

DATE:

1878

Master Negative #

92-81127-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG91-B39000          Acquisitions     NYCG-BT
FIN ID NYCG91-B39000 - Record 1 of 1 - Record updated today
UNI
  ID:NYCG91-B39000           RTYP:a    ST:p   FRN:   MS:   EL:      AD:04-05-91
  CC:9668  BLT:am     DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:        UD:12-14-92
  CP:gw      L:lat    INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
  PC:s      PD:1878/          REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:      OR:    POL:    DM:     RR:        COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Finsterwalder, Carl.
  245 13   De coniunctivi et optativi in enutiatis secundariis usu Aeschineo‡h[mi
        croform].‡bDissertatio inauguralis quam...‡cproposuit Carolus Finsterwal
        der.
  260       Ienae,‡bTypis Neuenhahni,‡c1878.
  300       39 p.
  LDG      ORIG
  QD       12-14-92
```

Re


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-1-93 INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202





Centimeter



Inches







DE CONIUNCTIVI ET OPTATIVI IN ENUNTIATIS SECUNDARIIS USU AESCHINEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

CAROLUS FINSTERWALDER

HAGIOPOLITANUS.

IENAE

TYPIS NEUENHAHNI

MDCCCLXXVIII.

Inter decem illos oratores, qui vocantur Attici, quosque simul fere ea urbs Attica tulit, quam pluribus annis eloquentia magis, quam universam Graeciam, operibusque floruisse Velleius[1]) existimat, in qua et natam et altam esse eloquentiam Cicero[2]) non dubitat affirmare, inter illos oratores, dico, facile duo viri tanto magis praelucent, quanto inferiorem locum tenent ceteri, si comparantur cum illis quasi heroibus, Demosthene et Aeschine. Profecto secundum post Demosthenem locum teneri constat ab Aeschine, cuius orationem Ctesiphonteam summus orator Romanorum iudicavit dignam esse, quae Latine reddita iis, qui Attice dicere vellent, esset regula[3]). Sed ante omnia hoc loco afferenda sunt verba Dionysii, quibus de Aeschinis ingenio iudicavit. Dicit

1) Velleius I 18.

2) Cic. Brut. 10, 39. De titulis, qui Athenis tribuuntur a scriptoribus et Graecis et Latinis, confer locos, quos Bergkius „Griechische Literaturgeschichte I p. 25, 29 collegit; praeterea confer quaeso Pindari frg. 46. Athenaios I 36. V 12. Alciphr. II 3. Diod. Sic. 13, 27. Aelian. „Var. hist.“ IV 6. Cic. Brut. 97, 332. de orat. I 4, 13. III 12, 43. Unus locus accuratius in medium proferatur, pro Flacco 26, 62: „adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur.“

3) Cic. Brut. cap. 9, 84, 290. Orat. 7, 29. de orat. II, 23, 94. III, 7, 28; 56, 213. Tusc. III, 26, 63. de fin. V, 2, 5. de optim. gen. or. § 23.

enim (de admir. vi dicend. in Dem. 35): *„Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ, ἀνὴρ λαμπροτάτῃ φύσει περὶ λόγους χρησάμενος· ὃς οὐ πολὺ ἂν ἀπέχειν δοκεῖ τῶν ἄλλων ῥητόρων καὶ μετὰ Δημοσθένην μηδενὸς δεύτερος ἀριθμεῖσθαι.“* Praeterea quantus fuerit Aeschines, ex eo praecipue intellegi potest, quod ille solus descendit in certamen cum illo viro, qui divina quadam eloquentia tamquam regnavit in contionibus (confer id, quod Quinctilianus „Instit. Orat.“ X, 112 de Cicerone dicit) quique mirabili arte dicendi animos audientium et docuit et delectavit et permovit (Cic. de opt. gen. orat. init.). Nihil est igitur causae, quod miremur audiendi causa concursus ex tota Graecia factos esse [1]). Tres tantum orationes Aeschinis exstant: contra Timarchum, de falsa legatione, contra Ctesiphontem habitae, Gratiarum nominibus significatae: *„διὸ τοὺς μὲν λόγους αὐτοῦ τινὲς χάριτας ὠνόμαζον διά τε τὸ χαρίεν τοῦ λόγου καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν Χαρίτων.“* [2]); pervenerunt illae ad nostram aetatem velut perfectissimae eloquentiae documenta. Praeter tres illas orationes a veteribus commemorantur novem epistulae, quae „Musae“ vocabantur: *„Μούσας δὲ τὰς ἐπιστολὰς διὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐννέα Μουσῶν“* [3]), quae ad nostram aetatem non pervenerunt; nam duodecim epistulas, quae nunc exstant, spurias esse et commenticias nemo mortalium negabit, postquam Taylor, vir summae doctrinae (in editione sua) et Boeckhius (ad Pind. II vol. p. 18 sqq.) ac-

1) Cic. de opt. gen. orat. 22. — Brut. 84, 289; id quod Aeschines ipse testificatur I, 117 *ὁρῶ δὲ πολλοὺς μὲν τῶν νεωτέρων προσεστηκότας πρὸς τῷ δικαστηρίῳ, πολλοὺς δὲ τῶν πρεσβυτέρων, οὐκ ὀλίγους δ' ἐκ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος.* I, 173. II, 5. III, 56. 207.

2) Phot. cod. 61.

3) Phot. cod. 61.

curatissime demonstraverunt illas Aeschini oratori esse abiudicandas. Taylor quidem sic iudicat: „Hodie habemus triada quidem orationum, epistulas vero duodenas. Quaenam sint igitur abiudicandae, si quaeras, sive tanto auctore indignae sive nota aliqua inustae, quae novitatem arguere possit — hoc ex me, inquam, si quaeras, aio praedico confirmo et pronuntio: omnes duodecim proscribendas protinus et eliminandas esse.“ Nunc ad tres illas orationes accuratius tractandas redeo. Neque vero demonstrare in animo mihi est, quam perspicuus et facilitate concipiendarum imaginum evidens, sententiis et verborum pondere sublimis, quam gravis, acerbus, vehemens, varietate copiosus, ornatus, tenuitate simplex, orationis festivitate facetus, iucundus, compositione lenis, figuris varius, sententiarum novitate audax, in inveniendo locuples, in delectu et ordine prudens, rerum usu callidus, moribus notandis probabilis, vi et copia argumentorum et affectibus ad commovendos hominum animos instructus sit et paratus (quibus verbis Matthaei virtutes Aeschinis oratorias optime describit), sed explicare conabor, quomodo orator ille coniunctivo et optativo usus sit in enuntiatis secundariis. De hoc coniunctivi et optativi usu apud Atticos quidem scriptores certam et firmam normam esse denegari non potest, ita ut cognoscamus, num etiam in hac re Aeschines optimos Atticorum scriptores sequatur. Primum de coniunctivi, tum de optativi in illis enuntiatis usu pauca dicam, in quibus Attici summam mentis subtilitatem usurpatam volebant.

Quae vero sit vis coniunctivi modi et optativi Hermanno, viro doctissimo, duce illustrari potest, qui dicit [1])

1) ad Vigerum p. 741.

„coniunctivi propriam vim esse, ut aliquid fieri posse significet, ita ut non agatur de eo, quod illud fieri posse cogitetur; optativi propriam vim esse hanc, ut indicet, aliquid non esse, sed cogitari tantum. Quin coniunctivus et optativus in enuntiatis secundariis idem valeat, atque in primariis, nemo dubitat. Quin etiam hoc dicere possumus: ab Aeschine et a ceteris Atticorum scriptoribus optativum positum esse, si in enuntiato primario usurpatum sit tempus praeteritum; post tempus praesens inveniemus apud Aeschinem coniunctivum. Et profecto optimo iure. Nam coniunctivus usurpatur, ubi de re praesenti sermo est; optativus, cum res refertur ut cogitatio alicuius; idque fieri solet saepissime post praeterita tempora; atque eo magis coniungi potest optativus cum praeteritis, quia ad opinionem et cogitationem eius refertur, de quo sermo est. Nam, ut exemplo utar *οὐκ εἶχον, ὅποι τραποίμην*“, optativus cogitationem perfugii indicat tum praesentem in animo eius, de quo sermo est, fuisse, cum ille hoc vel illud faceret. Confer Herm. ad Vig. p. 730. 767.

Sed nunc ad propositum venio. Ac primum tractandus est coniunctivus, quem usurpat Aeschines in iis enuntiatis, quae pendent ex verbis timendi; confer, quaeso, de Atticorum usu, Buttm. gr. graec. 139, E adn. 3. — Bernhardy „Synt.“ p. 401 sqq. — Matthiae gr. gr. p. 1189, § 520. Krueg. gr. gr. 54, 8, 9. Usurpatur autem ab eo coniunctivus ita, ut *μή* comparari possit cum Latina particula „ne“, *μὴ οὐ* idem significet, quod in Latina lingua „ne non“ vel „ut“ post verba timendi[1]). Si

1) De hac re confer Godofr. Herm. de ell. p. 216. et ad Eurip. Iphig. Tauric. vers. 1348.

autem quaeras, quomodo illud fieri possit, ut verbis timendi iungatur „*μή*“, sie forte ipsa negantur „*μὴ οὐ*“, hoc tecum reputa: verbo timendi absolute posito adiectam eam esse rem, quae, cum efficiat, ut in timore simus, abesse debeat; confer Krueg. ad Xenophontis Anab. I, 3, 11. II, 4, 3. Schneiderum ad Platonis Remp. V, 465, b. Kerstenium „de coniunctis particulis *μὴ οὐ*“. Atque ab iis, qui accurate Attice loquuntur, *μή* usurpatur cum coniunctivo post praesens, post praeteritum cum optativo; non aliter Aeschines. Neque vero quisquam verbum *δέδοικα* vel *δέδια* cum coniunctivo iunctum in medium proferat, ut probet illam regulam esse falsam, quoniam huic verbo haud raro vis praesentis abiudicanda non est. Hermannus ad Vigerum p. 776 affert exempla. Apud Aeschinem nisi *φοβεῖσθαι, δεδιέναι* verba timendi cum *μή* coniuncta non inveniuntur. Confer, quaeso, I, 194: „*δεδιότες, μή ποτ᾽ εἰς κρίσιν καταστῶσιν*“. II, 137: „*δεδιέναι φάσκοντες, μὴ ὁμήρους λάβῃ Φίλιππος.*“ III, 53: „*ἐκεῖνο φοβούμενος, μή μοι παρ᾽ ὑμῶν ἀπαντήσῃ.*“ I, 60: *φοβηθέντες, μὴ ἀνακηρυχθῇ ἡ βδελυρία, θέουσι πρὸς τὸν βωμόν.*“ III, 212: „*οὐδεὶς φοβήσεται, μὴ ἑαυτὸν διαχρήσηται,* ubi codices ehl et editio Aldina scripturam *διαχρήσεται* habent falsam, ne a Weidnero quidem receptam. Quid autem sibi vult locus II, 4? Dicit enim Aeschines in exordio: *ἐφοβήθην μὲν γάρ, καὶ ἔτι καὶ νῦν τεθορύβημαι, μή τινες ὑμῶν ἀγνοήσωσί με ψυχαγωγηθέντες τοῖς ἐπιβεβουλευμένοις καὶ κακοήθεσι τούτοις ἀντιθέτοις.*“ Fortasse dices „*ἀγοήσωσι*“ — forma, quam hoc loco habent codices deteriores, „*ἀγνοοῦσι*“, defendi nullo modo potest — false positum esse, cum praeterito fere subiungatur modus optativus. Quamquam negari non potest, etiam post praeterita rarius poni modum

coniunctivum (confer Krueg. art. grammat. l. c.), tamen Aeschines hunc dicendi usum vitat; hoc loco tamquam in parenthesi addit hic orator „*καὶ ἔτι καὶ νῦν τεθορύβημαι*“, ita ut „*μή — ἀγνοήσωσι*“ pendere possit ex verbo „*τεθορύβημαι*“.

Si verbum timendi habet formam temporis praeteriti, usurpari ab Aeschine *μή* cum optativo coniunctum doceat unum exemplum (nam plura in Aeschinis orationibus non invenies) II, 21: „*ὃς διασκοπούντων ἡμῶν, ὅ τι χρὴ λέγειν καὶ Κίμωνος εἰπόντος, ὅ τι φοβοῖτο μὴ δικαιολογούμενος περιγένοιτο ἡμῶν ὁ Φίλιππος, πηγὰς δὴ λόγων ἀφθόνους ἐπηγγέλλετο.*“ Nam si oratione directa utimur, certe scribendum est „*ἐφοβεῖτο, μὴ περιγένοιτο*“.

In iis enuntiatis, quae pendent ex *ὅτι* vel *ὡς* particulis, ab Aeschine coniunctivus non usurpatur, quoniam omnibus locis in enuntiato primario positum est tempus verbi dicendi vel declarandi praeteritum. Duobus locis pro *ὅτι* positum est *ἐάν* cum coniunctivo coniunctum (de hoc usu Atticorum pro *ὅτι* ponere *εἰ* vel *ἐάν* paulo post dicendum est): I, 174. III, 20. Dicit enim Aeschines I, 174: „*ἀγαπήσειν, ἐὰν μετρίῳ τιμήματι περιπέσω καὶ μὴ θανάτῳ ζημιῶμαι.*“ Altero autem loco haec leguntur: „*οὐκ ἀγαπῶσιν, ἐάν τις παρ᾽ αὐτοῖς μὴ ἀδικῇ, ἀλλ᾽ ἐάν τις ἐξαμαρτάνῃ, κολάζουσιν.*“ His locis post tempus praesens et futurum in enuntiato primario usurpatum est *ἐάν* cum coniunctivo; optativus modus poscitur, si in enuntiato primario positum est tempus verbi dicendi vel declarandi praeteritum.. Leguntur apud Aeschinem II, 13 haec verba: „*Κτησιφῶν ἀπήγγειλε πρὸς ὑμᾶς, ὑπὲρ ὧν ἐπέμφθη, καὶ πρὸς τούτοις, ὅτι φαίη Φίλιππος ἄκων μὲν πολεμῆσαι πρὸς ὑμᾶς*“, vel I, 168: „*διεξήειν, ὡς ἐν τῷ πότῳ ἡμῶν κιθαρίζοι καὶ λέγοι ῥήσεις*“. Ab Aeschine usurpatur *ὅτι* in his enuntiatis: I, 145. II, 12. 17. 21. 48 (bis). 83. 102. 110. 113. 119. 120. 155. III, 104; *ὡς* autem praeterea II, 42. 43. 46. 51. 121. 157. III, 71. 95. *ὅτι* et *ὡς* particulas ab Aeschine promiscue usurpatas esse nemo non videt. De his enuntiatis vide praeterea Buttm. gr. graec. 139, G, n. 58—61. Bernhardy „Synt.“ p. 408 sqq. Krueg. art. gram. 54, 6, 1 et 2. — — Huc pertinet ille quoque Atticorum mos dicendi pro *ὅτι* ponere *εἰ* post verba mirandi, dolendi, vituperandi, ut *ἀγαπᾶν, θαυμάζειν, αἰσχύνεσθαι*, multa alia id genus, de quo usu disputaverunt accuratius Rehdantz in indice ad Demosth. II. p. 134; Benseler ad Isocr. Areop. § 52. — Buttm. l. c. 139, G, n. 60. — Herm. ad Vig. p. 504. Krueg. l. c. 65, 5, 7. — Dissen ad Demosth. 18, 28. — Frohberger ad Lys. XII, 11. — Aeschinis usus dicendi his exemplis illustratur: *ἀγανακτεῖν* (*εἰ* III, 147), *ἀγαπᾶν* (*εἰ* I, 64. III, 142. 147. *ἐάν* I, 174. III, 20), *αἰσχύνεσθαι* (*εἰ* I, 120. III, 10. 158. 258), *ἀποθαυμάζειν* (*εἰ* I, 119), *ἐκπλήττεσθαι* (*εἰ* II, 150); similiter *ὀνείδισας ἐμπληξίαν* (*εἰ* II 164), *ἐπιτιμᾶν* (*εἰ* I, 38. III 220), *θαυμάζειν* (*εἰ* I, 82. II, 73). Ut cum particula *ὅτι* vel *ὡς*, ita cum „*εἰ*“ quoque particula pro illis posita optativus coniungitur; confer, quaeso, I, 64: „*ἠγάπησεν, εἴ τι προςλάβοι καινὸν κακόν*˙ vel I, 38: „*οὐδὲ γὰρ ἂν δικαίως ἐμοὶ ἐπιτιμήσαιτε, εἴ τι σαφῶς εἴποιμι διδάσκειν βουλόμενος, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τούτῳ, εἰ οὕτω — τυγχάνει βεβιωκώς.*“

Sequitur, ut pauca dicam de enuntiatis causalibus vel finalibus, in quibus usurpatur ab Aeschine particula causalis *ἵνα* et negativae particulae *ἵνα μή, ὅπως μή, μή*. Apud illos scriptores Atticos, qui accurate scribunt, optativus praeterito, praesenti semper iungitnr

coniunctivus, quamquam hoc loco praecipue illud afferendum est „nihil per omnia valere“. Non raro apud Thucydidem et Demosthenem et singulis locis apud Aeschinem quoque invenitur coniunctivus, etiamsi in enuntiato primario positum erat tempus praeteritum, quod usurpari putat God. Hermannus, si res, quae coniunctivo significetur, adhuc duret (Herm. ad Viger. p. 805 sqq. de emend. rat. gr. gr. II, 21 p. 212 sqq.). Apud alios scriptores non raro, apud Aeschinem semel tantum coniuncta est particula *ἄν* cum *ὅπως* (III, 39: „*κελεύει καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος*“). Quid sibi vellet *ἄν* particula apud *ὅπως*, exposuit Kruegerus in gr. gr. 54, 8, 4. Buttm. gr. gr. 139, E, 2. Brunck ad Arist. Lysistr. 384. — Heindorf ad Plat. Phaedon. p. 15. ad Protag. p. 497. Hermannus ad Vigerum p. 767. 786 dicit „ubi *ἄν* additur, res fit incertior, ita ut plerumque hoc *ἄν* per verbum „posse“ exprimi debeat“. Ab Aeschine ponitur coniunctivus, si praecedit praesens, perfectum, futurum in enuntiato primario.

Quodsi tempus p r a e s e n s praecedit, sequitur coniunctivus: I, 11: *κελεύει τοῦτο πράττειν, ἵν᾽ ἤδη — ἐντυγχάνῃ τοῖς ὑμετέροις παισίν.*“ I, 34: *ὃν γεγραμμένοι εἰσὶ μὴ ἐπιτήδειον εἶναι, ἵν᾽ ἐξῇ πράττειν αὐτοῖς, ὡς αὐτοὶ βούλονται.*“ Confer quaeso — nam omnia exempla singulatim in medium proferre longum est neque quidquam prodesse videtur, cum hic usus apud omnes scriptores Graecos constet — confer igitur primum locos, ubi praecedit tempus praesens: I, 20: *λέγ᾽ αὐτοῖς, ἵν᾽ εἰδῆτε.* 164: *λεγέτω, ἵν᾽ εἰδῶμεν, τί ποτ᾽ ἐρεῖ.* — I, 50: *λαβὲ μαρτυρίαν, ἵνα — ἐθελήσῃ τἀληθῆ μαρτυρίαν.* 195. II, 19. 24. 54. 55. III, 21. 76. 93. 176. 183. — I, 183. 194. II, 19. 159. III, 34. 45. 46. 47. 56. 67. 135. 158. 159. 169. 170. 216.

Huc pertinet illa dicendi formula „*ὅτι δ᾽ ἀληθῆ λέγω*“, quam Fritzschius in „Quaestionibus Lucianeis“ p. 59—61 sic interpretatus est: „*ἵνα δ᾽ εἰδῆτε, ὅτι ἀληθῆ λέγω κτέ.* Apud Aeschinem magna loquendi varietas exstat; nam inveniuntur: *ὅτι δ᾽ ἀληθῆ λέγω* (I, 104. 115. II, 54. 73. 85. 107. 134. 143. 155. 170. III, 15. 22. 30. 46. 47. 68. 70. 75. 101. 112. 124. 187), et *ἵνα δ᾽ εὖ εἰδῆτε, ὅτι ἀληθῆ λέγω* (III, 93) et *ὅτι δὲ τἀληθῆ λέγω* (III, 105) et *ὅτι ταῦτ᾽ ἐστὶν ἀληθῆ* (II, 19) et *ὅτι δ᾽ οὐδὲν ψεῦδος εἴρηκα πρὸς ὑμᾶς* (II, 46) et *καὶ ταῦθ᾽ ὅτι ἐγὼ ἀληθῆ λέγω* (I, 65). Haec, quae attuli, verba sequitur aut *κάλει* (I, 104. 115. II, 85. 107. 134. 143) aut *λαβέ* vel *λαβέτω* (II, 19. 54. 170. III, 93. 105. — II, 46) aut *ἀνάγνωθι* vel *ἀναγνώσεται* (III, 75. 101. 112. — III, 15. 124. 187) aut *ἀκούσατε* (II, 73. III, 22. 47. 68) aut *μαθήσεσθε* (III, 30. 70) aut *παρέξομαι* (II, 155) aut *ἐπιδείξω* (III, 46) aut *ἴστε* (I, 65).

Quae de *ἵνα* particula dicta sunt, in *ὅπως* quoque particulam cadunt ab Aeschine quidem multo rarius, quam *ἵνα*, usurpatam; nam *ὅπως* cum negativa particula *μή* coniunctum legitur duobus locis III, 170: „*τρίτον σώφρονα καὶ μέτριον χρὴ πεφυκέναι αὐτὸν πρὸς τὴν καθ᾽ ἡμέραν δίαιταν, ὅπως μὴ διὰ τὴν ἀσέλγειαν τῆς δαπάνης δωροδοκῇ κατὰ τοῦ δήμου;* praeterea III, 64. Semel est *ὅπως* coniunctum particulae *ἄν:* III, 39: *κελεύει καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως.* Uno loco (II, 20) codices habent varias lectiones, cum ehiklpsv Vat. contineant „*φυλάξωμεν*“, meliores autem libri praebeant „*παρακελεύεσθαί με φησὶν αὐτῷ, ὅπως τὸ θηρίον κοινῇ φυλάξομεν*“. Hoc „φυ-

λάξομεν“ excipiendum est, cum illud φυλάξωμεν a more Aeschineo plane abhorreat. Nam confer, quae exposuerunt Kruegerus, qui artem grammaticam graecam accuratissime pertractavit, in gr. gr. 54, 8, 6 et Buttmannus 139, E 2 adn. 3. — — Restat unus locus III, 175, ubi haec verba omnes fere editores optimo, ut mihi quidem videtur, iure receperunt: „καίτοι θαυμάσειεν ἄν τις ὑμῶν, εἰ εἰσὶ φύσεως γραφαί. εἰσίν. τίνος ἕνεκα; ἵν᾽ ἕκαστος ἡμῶν τὰς ἐκ τῶν νόμων ζημίας φοβούμενος — ἀμείνων ἀγωνιστὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ὑπάρχῃ.“ Sed tantum abest, ut omnes codices hoc „ὑπάρχῃ“ contineant, ut permulti praestent ὑπάρχοι (ac F Vat. Laur.) vel ὑπάρχει[οι] (Barb.) vel ὑπάρχει (dq) vel, ut ehkl Flor., γίγνηται. Neque ὑπάρχοι neque ὑπάρχει retinendum esse ad unum omnes consentiunt; sed de ὑπάρχῃ dubitatur. Mihi quidem persuasissimum est ab Aeschine hoc loco usurpatum esse „ὑπάρχῃ“, γίγνηται autem, quod Weidnerus ex „ehkl“ sumpsit, ab auctore codicum „ehkl“ glossema receptum esse. Quid enim est causae, quod a grammatico quodam „γίγνηται“ explicatum esse per ὑπάρχῃ putemus, cum e contrario „ὑπάρχειν“ rarius pro γίγνεσθαι usurpatum effecisse videatur in margine illud additamentum.

Praecedente perfecto tempore pauca exempla in tribus Aeschinis orationibus exstant: Nam I, 34: ·ὃν γεγραμμένοι εἰσὶ μὴ ἐπιτήδειον εἶναι, ἵν᾽ ἐξῇ πράττειν αὐτοῖς, ὡς αὐτοὶ βούλονται. III, 202: ἐγὼ δὲ πῶς κατηγόρηκα; ἵνα καὶ ὑπομνήσω ὑμᾶς. Hoc loco supplendum esse „κατηγόρηκα“ luce clarius est, si alium locum III, 175 conferes: „καίτοι θαυμάσειεν ἄν τις ὑμῶν, εἰ εἰσὶ φύσεως γραφαί. εἰσίν. τίνος ἕνεκα; ἵν᾽ ἕκαστος ἡμῶν —

ἀμείνων ἀγωνιστὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ὑπάρχῃ.“ Weidnerus quidem haec verba „ἵνα καὶ ὑπομνήσω ὑμᾶς“ cum „οὔτε τὸν ἴδιον — διεξῆλθον“ sic coniungit, ut τοῦτο addat ad ὑπομνήσω contra omnes codices et connexum sententiarum significet his verbis: „huiuscemodi enuntiata veterum si cum nostra dicendi consuetudine comparaveris, sententia haec deesse videtur „so sage ich, so erkläre ich, so wiederhole ich.““ Quamquam haec est vulgaris dicendi consuetudo, quae ne a latina quidem lingua abhorret (confer Fabri ad Liv. XXI 18, 8), quaeque exstat apud Aeschinem II, 22: „ἵνα δὲ μὴ μακρολογῶ τὴν τούτου διεξιὼν ὑπερηφανίαν, ὡς τάχισθ᾽ ἥκομεν“. 112: „ἵνα δὲ μὴ μακρολογῶ, τοιαῦτ᾽ ἦν“, tamen huic loco apta non est, praesertim cum Weidnerus, vir doctissimus, ipse illud τοῦτο addendum censeat, quod libris defendi minime potest, et locus ille iam citatus (III, 175) verborum structura simillimus sit. Quanta audacia a viro illo docto verba addantur, permirum est; etiam omittuntur sine iusta causa librorum verba. Exemplum sit locus II, 10: „καὶ μετὰ σπουδῆς καὶ κραυγῆς πολλῆς παρεκελεύσασθ᾽ ὑμῖν φυλάξασθαι.“ De hoc loco dicit Weidnerus (in epist. ad Cobet. p. 9): „Codices meliores et πολλῆς omittunt et διεκελεύσασθ᾽ praestant, quorum utrumque sequi debueram. Nam adiectivum illud Demosthenes fere semper omittit, Aeschines autem II, 86 dicit βοῆς καὶ κραυγῆς, ubi tamen καὶ — κραυγῆς suspicione non vacuum est.“ Compares, si placet, orationis tertiae paragr. 122 (III, 122); invenies hoc loco sine ulla varia lectione „κραυγὴ πολλὴ καὶ θόρυβος“, ubi etiam illud „κραυγῆς πολλῆς“ satis defenditur, cum librorum auctoritate confirmetur.

Praecedente denique futuro tempore hi loci exstant

in orationibus Aeschineis: I, 11: „*ἀναγνώσεται οὖν ὑμῖν τούτους τοὺς νόμους ὁ γραμματεύς, ἵν' εἰδῆτε.* 147: *ἵνα δὲ — ἀκούσητε, ἀναγνώσεται ὑμῖν ὁ γραμματεύς.* III, 190. I, 40. 67. 155. 157. 182. 193, II, 146. III, 35. 84. 213.

Nunc eos locos afferam, ubi praeterito in enuntiato primario posito adiungitur ab Aeschine in secundario modus coniunctivus. Omnes loci, qui afferri possunt, non abhorrent ab Aeschineo more dicendi, cum modus coniunctivus ex infinitivo (praesentis et aoristi) aut ex participio cum verbo finito coniuncto pendeat; paulo post videbimus, si verbum finitum cum infinitivo coniunctum sit, optativum quoque ab Aeschine usurpari, quamquam hic modus ab eo vitatur; confer II, 12. Haec leguntur in oratione prima § 181: *ἐπέταξεν εἰπεῖν, ἵνα — οἱ Λακεδαιμόνιοι ἀνδρὸς ἀγαθοῦ φθεγξαμένου ψηφίσωνται, — μηδὲ τοῖς ὠσὶ προςδέχωνται.* III, 47: „*καὶ διὰ τοῦτο προσέθηκεν ὁ νομοθέτης μὴ κηρύττεσθαι, ἵν' ἡ πόλις — δεηθῇ τοῦ δήμου, ἵνα κηρυττόμενος μείζω χάριν εἰδῇ.* III, 151: „*ὑπεραισχυνθέντες δ' οἱ ἐν Θήβαις ἄρχοντες, μὴ δόξωσιν ὡς ἀληθῶς εἶναι προδόται τῶν Ἑλλήνων, ἀπὸ τῆς εἰρήνης ἀπετρέποντο.*“ — III, 172 dicit Aeschines: „*συνῴκισε τὴν μὲν ἑτέραν ὁτῳδήποτε, ἵνα μὴ πολλοῖς ἀπεχθάνωμαι.*“ Hic supplenda sunt post *ὁτῳδήποτε* ex sententiarum serie verba „*αὐτὸν οὐ καλῶ*“ vel, ut Aeschinis verbis utar, „*τὸ δ' ὄνομα οὐ λέξω*“ (I, 165).

Nonnullis locis cum codices varias lectiones habeant, interpretandi difficultates exsistunt. Apud Schultzium et Weidnerum haec leguntur III, 2: „*ἐβουλόμην μὲν οὖν, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν βουλὴν — διοικεῖσθαι, καὶ τοὺς νόμους — ἰσχύειν, ἵν' ἐξῆν — συμβουλεύειν.*“ Hoc loco magna varietas lectionum est, nam et *ἐξῆν* et *ἔξει* et *ἐξὸν ᾖ* et *ἐξῇ* in codicibus scriptum est; praeterea editores

Turicenses et Bakius (in schol. hypomn. vol. n. p. 315 sqq.) coniecerunt *ἐξείη*. Quod codex „d“ habet *ἐξὸν ᾖ*, improbandum est et ab omnibus improbatur. Scriptura librorum z Flor. est „*ἐξῆν*“; haec forma ab Atticis in his enuntiatis usurpatur; exempla collegerunt Buttm. l. c. 139, E, n 4. Bernhardy in synt. graec. p. 376. Madvig in Synt. § 131, n. 3. (Philolog. Suppl. II, 19 sqq.). Frohberger Lys. vol. II, 185. Krueg. gr. gr. 54, 8, 8. Hermannus (ad Vig. p. 805) sic disputat de variis formis *ἐξείη, ἐξῇ, ἐξῆν: ἐξείη* postulari videtur praeterito *ἐβουλόμην*, quod in enuntiato primario positum est; ne *ἐξῇ* quidem false dictum esse iam supra commemoravi, *ἐξῆν* denique sententiarum nexui aptissimum videtur; *ἵνα* enim cum indicativo praeteritorum temporum iungitur, cum significatur aliquid, quod futurum fuisset, si quid aliud actum esset, sed nunc non factum est. — Reliqui libri porrigunt *ἐξῇ*, quam scripturam cur reiiciamus, nihil est causae. Nam etiam quod codex „a“ habet „*ἕξει*“, ad veram scripturam proxime accedit. Profecto nihil prohibet, quominus sequamur codices meliores; nam ab Aeschine dici posse „*ἐβουλόμην ἰσχύειν, ἵν' ἐξῇ*“ probant illa exempla, quae modo attuli, I, 181. III, 47, ita ut illud „*ἐξείη*“, quod viri doctissimi, editores Turicenses et Bakius coniecerunt, non postuletur. — Scripturam loci III, 27 codices non variant, nisi quod in uno libro „k“ legitur „*ἔχοι*“. Ceteri habent omnes „*ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἑλέσθαι ταμίας, ἵν' ἡ πόλις ἔχῃ ὑπεύθυνα σώματα, παρ' ὧν ἔμελλε τῶν ἀνηλωμένων λόγον ἀπολήψεσθαι*“. De hoc loco vide „Zeitschrift für Alterthumswissenschaft“ 1839 p. 1245. C. Scheibe in Jahnii Annal. 68 p. 153. Profecto „*ἔχῃ*“ recte usurpari posse iam docet I, 181, quod exemplum supra adnotavi; quod a Weidnero contra fidem codicum

receptum sit „ἔχοι“, mirum non est, cum codicem „k“ e numero meliorum librorum existimet esse. Legendum est cum codicibus „ἔχῃ“. — — In orat. III, 64 et 65 vulgo haec leguntur: „ἐπράττετο οὐ πρὸς τοὺς ἄλλους πρέσβεις, ἀλλὰ πρὸς Φιλοκράτην καὶ Δημοσθένην, εἰκότως, τοὺς ἅμα μὲν πρεσβεύοντας, ἅμα δὲ τὰ ψηφίσματα γράφοντας, πρῶτον μὲν ὅπως μὴ περιμείνητε τοὺς πρέσβεις, ἵνα μὴ μετὰ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, ἀλλ' ἰδίᾳ ποιήσησθε τὴν εἰρήνην· δεύτερον δ' ὅπως συμμαχίαν εἶναι ψηφιεῖσθε· τρίτον δ' ὅπως Κερσοβλέπτης μὴ ἔσται ἔνορκος μηδὲ μετέσται τῆς συμμαχίας.“ Ante omnia primum excutiendum est, quid librorum auctoritas commendet. Quod attinet ad codices, habent libri omnes „περιμείνητε“. Sauppius, vir doctissimus, coniecit περιμείναιτε, sine dubio propterea, quod περιμείνητε et περιμείναιτε facillime commutari poterant. Equidem Stephano auctore restitutum volo περιμενεῖτε, quam coniecturam Bekkerus quoque in edit. halens. et Schultzius receperunt; confer, quaeso, Cobeti „Novas Lectiones“ p. 65; Hamakerum in Mnemos. VIII, p. 5 sq. Hoc „περιμενεῖτε“ recipiendum esse puto, vel ideo quod paulo post in omnibus libris sine ulla lectionis discrepantia legimus ὅπως μὴ ψηφιεῖσθε, ὅπως μὴ ἔσται ἔνορκος μηδὲ μετέσται neque negari potest et ab aliis oratoribus et ab Aeschine dicendi aequabilitatem et concinnitatem quandam usurpari et captari. Deinde nulla medela nisi haec una proxima accedit ad codicum scripturam. — III, 150: ἀλλὰ καὶ τοὺς στρατιώτας τοὺς ὑμετέρους πάλιν ἀνέστρεψεν ἐξεληλυθότας, ἵνα βουλεύσησθε περὶ τῆς εἰρήνης, ubi quamquam omnes codices praebent illud „βουλεύσησθε“, tamen ex Sauppii coniectura legendum puto

βουλεύσαισθε, id quod Weidnerus quoque recepit, quoniam litterae αι et η facillime permiscentur.

Optativus modus ab Aeschine usurpatur in his enuntiatis, quae finem et consilium indicant, praecedente tempore praeterito. Nam cum hic modus cogitationem alicuius indicet, fieri non potest, quin, si de quo homine tempus praeteritum ponatur, etiam cogitatio eius in praeteritum tempus cadat. II, 57: „οὓς ἔπεμψαν, ἵνα κοινῇ καὶ πολεμοῖεν, εἰ δέοι, καὶ μετέχοιεν.“ 123: „διὰ τοῦτ' ἐψεύδετο, ὅπως τῆς εἰρήνης τύχοι.“ II, 12: „ἐδεῖθ' ὑμῶν πρεσβευτὴν αὐτῷ πρὸς Φίλιππον ἑλέσθαι, ἵν', εἴ πως δύναιτο, ἀπολάβοι τὰ λύτρα.“ (confer supra). — III, 62. 65. 70. Etiam III, 150 legendum esse censeo „τοὺς στρατιώτας τοὺς ὑμετέρους πάλιν ἀνέστρεψαν ἐξεληλυθότας, ἵνα βουλεύσαισθε περὶ τῆς εἰρήνης“. Confer, quae dixi supra. — — Omnes codices (uno „t“ excepto) praestant I, 6 haec: „νομίζω τοῦθ' ἡμᾶς σκοπεῖν, ὅπως θησοίμεθα“. Bekkerus coniectura assecutus est „θησόμεθα“, quam coniecturam nunc omnes editores receperunt. Nam vide, quae Bremius adscripsit: „Quamquam non iurem in Dawesii verba „ὅπως soloecismum facere cum futuro optativi“, hic tamen orationis tenor indicativum flagitat: „videndum ut leges laturi simns.“ Alterum foret: „ut laturi essemus.““ — Adde quod Cobetus in Var. Lect. edit. alt. p. 105 adscripsit: „ὅπως, ὅστις, ὅτι, ὁπόθεν, ὅποι, ἔνθα et similia habent coniunctivum, ubi praecessit negatio, ubi non praecessit, boni scriptores constanter futuri indicativo utuntur.“ Codicum lectionem defendere studet Bernhardy in Synt. p. 407, cum vertit: „wie mögen wir gute Gesetze geben“; sed frustra; nam in Aeschineis orationibus simile exemplum non invenitur.

Nunc venio ad ea enuntiata, quae subiunguntur

relativo vel pronomini vel adverbio, ut *ὅς*, *ὅστις*, *ὅσος*, *ὁποῖος*, *ὡς*, *ὅπως*, *ὅπου*, in quibus enuntiatis usurpatur ab Aeschine coniunctivus, ubi de re incerta vel praesenti vel futura sermo est, ubi cum relativo et pronomine et adverbio coniuncta est illa particula *ἄν*, quae nihil aliud significat, quam quod Graeci aliis locis exprimunt, si utuntur formula „*εἰ τύχοι*". Additur autem ab Aeschine illa particula ita, ut nullo alio verbo nisi *τίς* vel *δέ* interposito ac arctissime copuletur cum pronomine; ceteri scriptores Attici idem faciunt; quod quidem, si consuetudinem eorum spectaveris, forsitan non deneges; confer Krueg. art. grammat. 54, 15, 1. Nam confer, si placet, locos, qui reperiuntur in orationibus Aeschineis: I, 128: „*ὁποῖοί τινες ἄν.*" III, 247: „*ὁποῖός τις ἄν.*" II, 60: „*ὅτι δ' ἄν.*" III, 122: „*ἥτις δ' ἄν.*" — Ubi in enuntiato primario *α*) vel praesens *β*) vel perfectum *γ*) vel futurum tempus praecedit, requirit Aeschines coniunctivum. Quod probatur his exemplis:

α) III, 46: „*στέφανον, ὃς ἂν ἀναῤῥηθῇ, ἱερὸν εἶναι κελεύει.*" 202: „*μηδ' ἐν ἀρετῇ καταλογιζέσθω, ὃς ἂν πρῶτος ἀναβοήσῃ.*" Hoc loco particulam *ἄν* omittunt codices ghl Laur. Omitti autem particulam *ἄν* in his enuntiatis apud veteres poëtas, ante omnia apud tragicos, interdum ab Herodoto et Thucydide, numquam a poëtis comicis iam viri docti adnotaverunt, confer Heindorfium ad Platonis Phaedonem § 16. Sed quod illo gravius est: hanc particulam numquam omissam esse ab optimis solutae orationis scriptoribus iam docuit Bernhardy in synt. gr. gr. p. 399. Sed redeo ad rem. Codices hkl Weidnerus, quamquam meliores existimat esse quam ab F, tamen hoc loco secutus non est; nam illi habent „*ἀναβοήσει*", quod ad grammaticam rationem

defendi nullo modo potest. III, 7: „*ὥσπερ ἂν ἕκαστος αἰσχυνθείη τάξιν λιπεῖν, ἣν ἂν ταχθῇ ἐν τῷ πολέμῳ.*" I, 183: „*γυναῖκα, ἐφ' ᾗ ἂν ἁλῷ μοιχός, οὐκ ἐᾷ κοσμεῖσθαι.*" — — I, 127: „*ὅστις ἂν ᾖ, λόγον παρέχει.*" I, 154. III, 114. II, 60: „*ὅτι δ' ἂν βουλεύσηται ὁ δῆμος, τοῦτ' εἶναι κοινὸν δόγμα.*" II, 104: „*πράττειν καὶ ἄλλ' ὅτι ἂν δύνωνται ἀγαθόν.*" 120: „*πράττειν ἀγαθόν, ὅτι ἂν δυνώμεθα,*" ubi unus codex „g" habet *δυναίμεθα*, quae lectio reiicienda est, cum non de certo bono agatur, sed de incerto et futuro. III, 59: „*ὁμολογήσας ἀληθὲς εἶναι, ὅτι ἂν λογισμὸς αἱρῇ.*" II, 7: „*δέομαι ὑμῶν δηλοῦν, ὅτι ἂν ποθῆτε ἀκοῦσαι.*" Hunc locum primus Stephanus persanavit, cum pro *ὃ ἄν* vel *ὃ ἐάν* vel *ὅπερ ἄν* vel *ὅτι ἐάν* posuit *ὅτι ἄν*, ita ut id, quod Weidnerus coniecit *ὧν ἄν*, necessarium non sit. — — I, 128: „*ἀποφαινόμενον τὴν θεὸν ταύτην οὐ μόνον τοὺς ζῶντας ἐμφανίζειν δυναμένην, ὁποῖοί τινες ἂν τυγχάνωσιν ὄντες, ἀλλὰ καὶ τοὺς τετελευτηκότας.*" — — I, 160: „*ὅπως ἂν ἡ πρᾶξις γένηται, τὸν πράξαντα κελεύει μὴ μετέχειν.*" I, 181: „*ἐπέταξεν αὐτῷ τὰς αὐτὰς εἰπεῖν γνώμας οὕτως, ὅπως ἂν δύνηται.*" — — II, 9: „*ὃν δ' οὕτως ἀτιμάζει, πάλιν ἐκ μεταβολῆς, ὅπου ἂν τύχῃ, ὥσπερ Ἀλκιβιάδην ἢ Θεμιστοκλέα κρίνων, αἰτιᾶταί με.*" Hoc loco scribendum puto, quod Schultzius praebet „*ὅπου ἂν τύχῃ*", quamquam „*ἂν τύχῃ*" de coniectura positum est, cum desit in libris *ἄν*; codices autem ehkls habent *τύχοι*, quod etiam „a" praebet ex „*τύχῃ*" correctum. Quare acceperunt nonnulli viri docti hoc „*τύχοι*" et refingendum coniecerunt „*ὅπου τύχοι*", quod quidem usu Aeschineo non comprobatur; confer, quaeso, Frankium in act. societ. graec. 2 p. 37. Sed cum plurimorum codicum auctoritate nitatur lectio „*τύχῃ*", hoc retinendum puto, praesertim cum

relativo vel pronomini vel adverbio, ut ὅς, ὅστις, ὅσος, ὁποῖος, ὡς, ὅπως, ὅπου, in quibus enuntiatis usurpatur ab Aeschine coniunctivus, ubi de re incerta vel praesenti vel futura sermo est, ubi cum relativo et pronomine et adverbio coniuncta est illa particula ἄν, quae nihil aliud significat, quam quod Graeci aliis locis exprimunt, si utuntur formula „εἰ τύχοι“. Additur autem ab Aeschine illa particula ita, ut nullo alio verbo nisi τίς vel δέ interposito ac arctissime copuletur cum pronomine; ceteri scriptores Attici idem faciunt; quod quidem, si consuetudinem eorum spectaveris, forsitan non deneges; confer Krueg. art. grammat. 54, 15, 1. Nam confer, si placet, locos, qui reperiuntur in orationibus Aeschineis: I, 128: „ὁποῖοί τινες ἄν.“ III, 247: „ὁποῖός τις ἄν.“ II, 60: „ὅτι δ' ἄν.“ III, 122: „ἥτις δ' ἄν.“ — Ubi in enuntiato primario α) vel praesens β) vel perfectum γ) vel futurum tempus praecedit, requirit Aeschines coniunctivum. Quod probatur his exemplis:

α) III, 46: „στέφανον, ὃς ἂν ἀναῤῥηθῇ, ἱερὸν εἶναι κελεύει.“ 202: „μηδ' ἐν ἀρετῇ καταλογιζέσθω, ὃς ἂν πρῶτος ἀναβοήσῃ.“ Hoc loco particulam ἄν omittunt codices ghl Laur. Omitti autem particulam ἄν in his enuntiatis apud veteres poëtas, ante omnia apud tragicos, interdum ab Herodoto et Thucydide, numquam a poëtis comicis iam viri docti adnotaverunt, confer Heindorfium ad Platonis Phaedonem § 16. Sed quod illo gravius est: hanc particulam numquam omissam esse ab optimis solutae orationis scriptoribus iam docuit Bernhardy in synt. gr. gr. p. 399. Sed redeo ad rem. Codices hkl Weidnerus, quamquam meliores existimat esse quam ab F, tamen hoc loco secutus non est; nam illi habent „ἀναβοήσει“, quod ad grammaticam rationem

defendi nullo modo potest. III, 7: „ὥσπερ ἂν ἕκαστος αἰσχυνθείη τάξιν λιπεῖν, ἣν ἂν ταχθῇ ἐν τῷ πολέμῳ.“ I, 183: „γυναῖκα, ἐφ' ᾗ ἂν ἁλῷ μοιχός, οὐκ ἐᾷ κοσμεῖσθαι.“ — — I, 127: „ὅστις ἂν ᾖ, λόγον παρέχει.“ I, 154. III, 114. II, 60: „ὅτι δ' ἂν βουλεύσηται ὁ δῆμος, τοῦτ' εἶναι κοινὸν δόγμα.“ II, 104: „πράττειν καὶ ἄλλ' ὅτι ἂν δύνωνται ἀγαθόν.“ 120: „πράττειν ἀγαθόν, ὅτι ἂν δυνώμεθα,“ ubi unus codex „g“ habet δυναίμεθα, quae lectio reiicienda est, cum non de certo bono agatur, sed de incerto et futuro. III, 59: „ὁμολογήσας ἀληθὲς εἶναι, ὅτι ἂν λογισμὸς αἱρῇ.“ II, 7: „δέομαι ὑμῶν δηλοῦν, ὅτι ἂν ποθῆτε ἀκοῦσαι.“ Hunc locum primus Stephanus persanavit, cum pro ὃ ἄν vel ὃ ἐάν vel ὅπερ ἄν vel ὅτι ἐάν posuit ὅτι ἄν, ita ut id, quod Weidnerus coniecit ὧν ἄν, necessarium non sit. — — I, 128: „ἀποφαινόμενον τὴν θεὸν ταύτην οὐ μόνον τοὺς ζῶντας ἐμφανίζειν δυναμένην, ὁποῖοί τινες ἂν τυγχάνωσιν ὄντες, ἀλλὰ καὶ τοὺς τετελευτηκότας.“ — — I, 160: „ὅπως ἂν ἡ πρᾶξις γένηται, τὸν πράξαντα κελεύει μὴ μετέχειν.“ I, 181: „ἐπέταξεν αὐτῷ τὰς αὐτὰς εἰπεῖν γνώμας οὕτως, ὅπως ἂν δύνηται.“ — — II, 9: „ὃν δ' οὕτως ἀτιμάζει, πάλιν ἐκ μεταβολῆς, ὅπου ἂν τύχῃ, ὥσπερ Ἀλκιβιάδην ἢ Θεμιστοκλέα κρίνων, αἰτιᾶταί με.“ Hoc loco scribendum puto, quod Schultzius praebet „ὅπου ἂν τύχῃ“, quamquam „ἂν τύχῃ“ de coniectura positum est, cum desit in libris ἄν; codices autem ehkls habent τύχοι, quod etiam „a“ praebet ex „τύχῃ“ correctum. Quare acceperunt nonnulli viri docti hoc „τύχοι“ et refingendum coniecerunt „ὅπου τύχοι“, quod quidem usu Aeschineo non comprobatur; confer, quaeso, Frankium in act. societ. graec. 2 p. 37. Sed cum plurimorum codicum auctoritate nitatur lectio „τύχῃ“, hoc retinendum puto, praesertim cum

particulam ἂν saepissime omissam esse in codicibus nemo non noverit. Accedit, quod in scholiis quoque lectio „ὅπου ἂν τύχῃ“ invenitur et explicatur verbis his: „ἀντὶ τοῦ ἐν οἱῳδήποτε μέρει τοῦ λόγου“. —

Restat, ut de uno loco pauca quam brevissime dicam. Agitur de loco III, 120, ubi apud Schultzium haec leguntur: „ἐγὼ μὲν ὑπὲρ τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων καὶ τοῦ σώματος καὶ τῶν τέκνων καὶ οἰκίας τῆς ἐμαυτοῦ βοηθῶ κατὰ τὸν ὅρκον καὶ τῷ θεῷ καὶ τῇ γῇ τῇ ἱερᾷ καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ φωνῇ καὶ πᾶσιν, οἷς δύναμαι.“ Lectionem „πᾶσιν οἷς δύναμαι“ habent omnes libri praeter „ehkl“, qui praebent „οἷς ἂν δύνωμαι“. Horum codicum lectionem defendit nimirum Weidnerus in proleg. ad Orat. Ctesiphont. p. XXII et novis argumentis fulcire studet in illa „de Aeschinis emendatione ad Cobetum epistula“ p. 23. Sed quae sunt eius argumenta? Quid in medium proferre potest, ut comprobet veram esse suam sententiam, aliorum falsam? „Maxime necessarium est, scribit in proleg. ad Ctesiph., quod in A (codicibus ekl) repperi „οἷς ἂν δύνωμαι“. Sensus enim est „et si qua alia re potero“. In hac re constans est Graecorum usus. Sed tamen omnes adhuc editores ex BM retinuerant „καὶ πᾶσιν οἷς δύναμαι“. Quis quaeso credet, hoc si Aeschines reliquisset, librariorum quemquam mutaturum et scripturum fuisse „οἷς ἂν δύνωμαι“? Si quidquam, verbi modorum ratio illa aetate oblitterata fuerat.““ Atque in illa epistula haec explicat: „Ac Tu quidem vere monuisti, οἷς ἂν δύνωμαι non dici nisi in re futura aut incerta. Illic igitur in re certa et praesenti necessarium esse „οἷς δύναμαι“. At fieri etiam potest, ut res praesenti et futuro simul, i. e. instanti tempore facta denotetur. Atque hoc ego cadere existimo in hanc ipsam

Aeschinis orationem. Nam cum dixit βοηθῶ, non opem se ferre, sed opem se denuntiare significavit, i. e. paratum se esse ad auxiliandum.“ Haec omnia argumenta, quamvis sint acuta, cadunt, si hunc locum accuratius perspeximus. Sententiarum nexus poscit et requirit non „et si qua alia re potero“, sed „et omnibus rebus, quibus possum“. Hoc autem exprimi per „οἷς δύναμαι“ ipse Weidnerus confitetur. Iam Bremius adscripsit ad hunc locum: „forsitan alicui blandius videatur, quod offerunt „ehkl“; sed indicativus fortius certum exprimit consilium, a quo nulla vi abstrahi se patiatur.“ Accedit, quod in paragrapho 109 eiusdem orationis et in oratione altera (II, 105) omnes codices exhibent eandem formulam, ubi ponitur „πάσῃ δυνάμει“. Petrus autem Victorius haec verba sic explicat (in Var. lect. XIV, 19): „Graeci cum quempiam omnibus ingenii corporisque viribus aliquid aggredi significare volebant, ita loquebantur.“ Cum autem saepissime ὃς ἂν coniunctum reperiatur cum coniunctivo, fieri potuit facillime, ut librarius quidam hoc loco „οἷς δύναμαι“ mendum esse ratus emendaret quasi corruptelam. Hoc loco „οἷς δύναμαι“ legendum esse censeo.

β) Post tempus perfectum coniunctivum usurpari ab Aeschine demonstrent haec exempla: I, 13: „καὶ ἴσα τὰ ἐπιτίμι' ἑκατέρῳ πεποίηκε, — ὃς ἂν ἐκμισθωθῇ ἑταιρεῖν.“ I, 29: „τὰς στρατείας μὴ ἐστρατευμένος, ὅσαι ἂν αὐτῷ προσταχθῶσιν.“ I, 30: „τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς ἢ ὧν κληρονόμος γένηται.“ — —

γ) Denique futuro tempore praecedente: I, 61: „πάντα φάσκων πράξειν, ἃ ἂν ἐκείνῳ συνδοκῇ.“ III, 122: „ἥτις δ' ἂν μὴ παρῇ πόλις, εἴρξεται καὶ ἔσται κτέ.“ 133: „τοῦτο πεισόμενος, ὅτι ἂν ἐκείνῳ δόξῃ, ubi aoristus con-

iunctioni ἐὰν et similibus iunctus vim habet futuri exacti; confer Bernhardy Synt. p. 398. Heindorf. ad Plat. Phaedon. p. 151. — III, 16: „ὅσῳ ἂν τις ἄμεινον λέγῃ, τοσούτῳ — ὀργῆς τεύξεται.“ III, 247: „τοιαύτη δόξει εἶναι, |ὁποῖός τις ἂν ᾖ;“ hoc loco sic legendum est et etiam a Weidnero legitur, quamquam codices illius sententia meliores „ehk“ habent „εἴη“, quod Graecorum quidem usu dicendi ab Aeschine plane alienum est; confer locum ex Xenophontis scriptis desumptum, huic loco haud dissimilem: π. πό. 1, 1: „ἐγὼ νομίζω ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιαύτας καὶ τὰς πολιτείας γίγνεσθαι.“ —— I, 38: „εὐλαβήσομαι, ὡς ἂν δύνωμαι μάλιστα.“ III, 145: „πρεσβεύσειν, ἔφη, ὅπου ἂν αὐτῷ δοκῇ.“ Sic legitur apud Schultzium. Codices „aeghlmnp Vat. Laur.“ habent ὅπου, „cd F q Barb.“ ὁπότ', ceteri libri omnes ὅποι. Quamquam a graeco sermone alienum non esse patet „πρεσβεύειν ὅπου“ (confer Bernhardy „Synt.“ p. 350), tamen quin ab Aeschinis more dicendi plane abhorreat, controversia non est. Frankius, qui antea hoc loco scribendum censuit ὅποι in act. societ. graec. II, 40, improbavit hoc ipse in praefatione edit. alter. p. XX (Teubneriana). Nam si Aeschinis orationes perlustraveris, illud animadvertes, πρεσβεύειν non adhiberi nisi adiunctis praepositionibus vel εἰς vel πρός vel ἐπί: εἰς II, 134. 146. III, 138. I, 120. Restituendum sine dubio est εἰς pro ἐν III, 73, ubi ἐπρέσβευεν illam dittographiam facillime efficere poterat; quo facto praepositione „εἰς“ omissa mutatum erat Μακεδονίαν in Μακεδονίᾳ. — πρός: II, 149. 164. III, 162. — ἐπί II, 139. 142. — —

Quid autem de optativi in his enuntiatis usu Aeschineo dicendum censes, quae pendent ex relativis vel pronominibus vel adverbiis? Aeschinis usu dicendi optativus in his enuntiatis usurpatur, si particula ἂν adiuncta est et si illa particula deest. Ac primum quidem particula ἂν omissa optativum in enuntiato secundario requirit Aeschines, si praecedit optativus cum ἂν coniunctus. Quod plerumque fieri solet in enuntiatis condicionalibus et relativis. Exemplo ex Aeschinis oratione tertia petito istud loquendi genus firmetur: III, 225: „μέλλει ἐπερωτᾶν, τίς ἂν εἴη τοιοῦτος ἰατρός, ὅστις συμβουλεύοι (codex „a“ habet συμβουλεύει, „e“ συμβουλεύει mit übergeschriebenem οι) — διεξίοι et 226: „ὅστις — δύναιτο — ἀποδοῖτο — κωλύοι — ἀξιοίη — ἐπερωτῴη — 227: ἀποκρύπτοιτο. — —

Non raro utuntur Attici scriptores optativo sine ἂν particula post tempus praeteritum, si post praesens vel futurum in enuntiato primario positum adhibuerint coniunctivum cum ἂν iunctum vel indicativum praeteriti, repetitionem rei fieri solitae significantem. Mihi Aeschinis orationes perlustranti venit in mentem istius loquendi moris. Nam ab Aeschine hoc dicitur (II, 31): „καὶ πάντων, ὧν εἴποιμι, μάρτυρας τὰς ἐκείνων ἐπιστολὰς παρειχόμην“, ubi ἂν nonnullorum codicum auctoritate usum iam a Bremio optimo iure reiectum est. Vere enim monuit Reisigius „de vi et usu particulae ἂν“ p. 111 in hac constructione ἂν cum optativo poni non posse, ubi praeteritum spectatur tempus, sed aut praesens tempus aut futurum intellegatur oportere. — Quid? quod permultis locis Aeschines Atticorum moderationem secutus adhibet optativum cum ἂν iunctum in re certa et definita? Nam confer locos, ut I, 55. 72. 105. II, 22. 37. 153. 179. III, 7. 128. 198. — Haec leguntur I, 55: ἀκήκοα γεγονέναι τοιαύτας ὕβρεις, οἵας οὐκ ἂν τολμήσαιμι πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν“, ubi ἂν τολμήσαιμι idem valere videtur

atque *τολμῶ*. Atqui I, 72: „*τίς οὕτω ταλαίπωρός ἐστιν ἄνθρωπος, ὅστις ἂν ἐθελήσειε*“ — nonne idem significat, quod *ἐθέλει*? (de forma autem „*ἐθέλειν*“ confer Sauppium ad Demosth. Philipp. I, 7. Benselerum ad Isocr. Areop. 157 sq.). Praeterea intellegi potest hoc loco usurpatum esse pronomen relativum *ὅστις* pro particula consecutionis *ὥστε*, de quo usu confer, quaeso, Krueg. art. grammat. 51, 13, 10. — Hanc rem unam omnium difficillimam accuratius et copiosius tractaverunt Buttmannus in grammat. graec. 139, B, n. 31—36. Bernhardy in synt. graec. 406—407. Krueg. in gr. gr. 54, 13—15.

Ac de relativis quidem enuntiatis diximus: sequitur, ut de usu Aeschineo coniunctivi in iis enuntiatis pauca explicanda videantur, in quibus particulae temporis usurpandae sunt. Ab Aeschine *ὅτε, ὁπότε, ἐπειδή, ἕως, πρίν* usurpantur atque ita usurpantur, ut compositae sint cum particula *ἄν*. Cum alii scriptores Attici tum Aeschines quoque diligentissime id spectat, ne particula *ἄν* ullo loco desit, cum apud poëtas illa particula omissa non semel tamen coniunctivus reperiatur. Confer de his enuntiatis Krueg. gr. gr. I, 57, 17, 3. Buttm. 139, C, 1. adn. 1; D, 37—41. Bernhardy l. c. 397, 8. Herm. ad Vig. p. 768.

Ac primum de particulis *ὅταν, ὁπόταν, ἐπειδάν*, tum *ἕως ἄν*, denique *πρὶν ἄν* paucis explicare libet. Particula *ὅταν* ex *ὅτε* et *ἄν*, *ὁπόταν* ex *ὁπότε* et *ἄν*, *ἐπειδάν* ex *ἐπειδή* et *ἄν* composita est. Cum his particulis coniungitur ab Aeschine coniunctivus ea condicione, si praecedit in enuntiato primario praesens tempus vel perfectum vel futurum, atque etiam praeteritum, si repetitio rei fieri solitae significatur; nullo loco, quod equidem

meminerim, ab Aeschine usurpatur optativus cum his particulis, qui modus apud alios scriptores Atticos sexcenties invenitur. Quin hoc verum sit, dubitari non potest. Confer, ne nubem exemplorum afferam, I, 6: „*προσήκειν νομίζω, ὅταν νομοθετῶμεν, τοῦθ' ἡμᾶς σκοπεῖν.*“ 74: „*ὅταν πρὸς τῇ ἀνάγκῃ ταύτῃ γίγνωνται, ὅμως πρό γε τῆς αἰσχύνης προβάλλονταί τι κτέ.*“ 128: „*ἀποφαινόμενον τὴν θεὸν ταύτην ἐμφανίζειν δυναμένην, ὅταν λέγῃ.*“ 167: „*ὅταν παρεμβάλῃ, καταγέλαστον τὴν πόλιν ποιεῖ.*“ — 187: „*τί δ' ὄφελος ἐφιστάναι, ὅταν κατακάμπτωνται.*“ Quamquam quid opus est exemplis in re apertissima? Confer, si placet, II, 22, ubi haec legimus: „*συνετάξαμεν πρὸς ἡμᾶς αὐτούς, ὅταν προσίωμεν Φιλίππῳ, τοὺς πρεσβυτάτους πρώτους λέγειν.*“ 49. 145. 153. III, 6. 16. 23. 30. 45. 59. 88. 99 (bis). 124. 176. 189. 197. 199. 200. 208 (bis). 209. 220. 221. 229. 231. 237. 241. 249. 256. 257. Legitur in paragrapho 75 orationis Timarcheae: „*τί χρὴ λέγειν, ὅταν μειράκιον — νυκτερεύῃ*“ et recte; nam quod exhibet codex „q“ *νυκτερεύει*, ad grammaticam rationem defendi minime potest, quod nescio an nemo ab Aeschine profectum esse sibi persuadeat, praesertim cum paulo post sequatur „*δειπνῇ, ἔχῃ, κυβεύῃ, ἐκτίνῃ.*“ — III, 16: „*ὅταν, ἃς ὁ νομοθέτης ἀρχὰς ὀνομάζει, οὗτοι προσαγορεύωσι πραγματείας, ὑμέτερον ἔργον ἐστὶν ἀπομνημονεύειν.*“ Illa autem codicum „agmn“ Vat. Laur. Flor. scriptura „*ὁ μὲν — ὀνομάζῃ, οὗτοι δέ κτέ*“ adversatur et sententiarum rationi et concinnitati membrorum. Confer, quae dixit Weidnerus huic loco in editione sua Ctesiphontea p. XIX. — — III, 218: „*λέγεις δ' οὐχ ὁπόταν σοι δοκῇ, ἀλλ' ὁπόταν προστάττωσιν.*“ 75: „*ἀπέδωκε τῷ δήμῳ, ὁπόταν βούληται, συνιδεῖν.*“ — — I, 6: „*προσήκειν δ' ἔγωγε νομίζω, ὅταν μὲν νομοθετῶμεν,*

τοῦϑ' ἡμᾶς σκοπεῖν, — ἐπειδὰν δὲ νομοϑετήσωμεν, — πείϑεσϑαι." 18: „*ἐπειδὰν ἐγγραφῇ — γνῷ — εἰδῇ — δύνηται, οὐκέϑ' ἑτέρῳ διαλέγεται.*" 23 (bis). 77. 78. 179. II, 55. 60. 53. III, 11. 48. 54. 59. 197. 201. — III, 30 legitur in editione Turicensi „*ἐπειδὰν δ' ἀφέλῃ τις τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας, καταλείπεται.*" Alii amplectuntur codicum „cdefhlqz" Barb. Flor. lectionem „*καταλείπονται*", confer Scheibium in Jahnii annal. 68 p. 153. Weidnerum in prolegg. ad orat. Ctesiph. p. IX.

Perfectum praecedit III, 233: „*ὅταν ἑτέρῳ παραδῶ, καταλέλυκεν.*"

Ex futuro tempore pendet coniunctivus in enuntiato temporali his locis: I, 5: „*ἐντεῦϑεν ἰσχύσετε, ὅταν εὐνομῆσϑε καὶ μὴ καταλύησϑ' ὑπὸ τῶν παρανομούντων.* 11. 174. 187. II, 154: „*ὑπισχνεῖτ' αὐτῷ δώσειν, ἐπειδὰν καταμαρτυρήσῃ.*" — Difficultatem autem haud parvam affert locus II, 107: „*οὐδείς με τῶν ὅπλων ἕνεκα τῶν Φιλίππου κρινεῖ, ἀλλ' ὅταν εἴπω τι μὴ δέον ἢ πράξω τι τῶν μὴ προςτεταγμένων.*" Nam hic legitur apud Schultzium „*ὅταν εἴπω τι μὴ δέον ἢ πράξω τι.*" Sed tantum abest, ut *ὅταν* librorum auctoritate nitatur, ut de coniectura propositum sit. Nam habent codices Vat. Laur. *ὃν ἄν*, plurimi autem *ὧν ἄν*, quod permulti viri doctissimi defenderunt, ut Reiskius, Bekkerus, Dindorfius; delevit *ὧν* Frankius (vide acta societ. graec. II, 1, p. 34), qui optimo iure admonuit, simile vitium in Andocidis B, *β*, 6 a Maetznero correctum esse. Cobetus autem in Nov. Lect. p. 374 scribere voluit „*ἀλλ' ὧν ἂν εἴπω μὴ δέον ἢ πράξω τῶν μὴ προςτεταγμένων*", quod a Weidnero probatur. Dubitari non potest, quin emendatione opus sit. Quare equidem censeo Frankium sequendum esse et expungendum illud *ὧν*.

Praeterito tempori subiunxit Aeschines coniunctivum, si repetitionem rei fieri solitae significat. Apud Schultzium I, 80 exstat: „*ὅταν οὑτοσὶ ἀναβῇ, ὅτ' ἐμνήσϑη τειχῶν, εὐϑὺς ἐβοᾶτε.*" Schultzius autem cum constituit „*ὅτ' ἐμνήσϑη*", codicum auctoritatem neglexit. Nam meliores codices „abf" habent „*ὅταν μνησϑῇ*" neque vero quidquam est causae, quod hanc lectionem mutemus; codices autem ceteri exhibent „*ἐὰν μνησϑῇ*", praeterquam quod in libris „dhq" scriptum est „*ὅταν ἐμνήσϑη*", vide Krueg. gr. gr. 54, 17, 4; confer Prisciani Instit. XVIII p. 252. Frankium in praefatione ad Aeschin. orat. edit. alter. Teubner. p. VII. — — Iam vero „*ἕως ἄν*" usurpatur ab Aeschine bis praesente, semel futuro praecedente cum coniunctivo coniunctum, si idem significat, atque apud Latinos particula dum, apud Germanos „bis". III, 21: „*ἑνὶ δὲ λόγῳ ἐνεχυράζει τὰς οὐσίας ὁ νομοϑέτης τὰς τῶν ὑπευϑύνων, ἕως ἂν λόγον ἀποδῶσι τῇ πόλει.*" III, 165: „*καὶ εἰ βούλει, παραχωρῶ σοι τοῦ βήματος, ἕως ἂν εἴπῃς.*" Quamquam hoc loco codices „ehkl" habent *εἴποις*, tamen neglexit eos Weidnerus non sine causa; nam *ἕως ἂν εἴποις* post praesens abhorrere a more dicendi cum Atticorum tum Aeschinis omnibus notum est. — II, 82: „*συνέβαινε δέ — πρὸς ἡμᾶς ὡμολογηκέναι, ἕως ἂν ὑμεῖς περὶ τῆς εἰρήνης βουλεύσησϑε, μὴ ἐπιβήσεσϑαι.*" Confer Valcen. ad Eur. Hipp. 659. Brunck. ad Eur. Phoen. 89. — — Restat, ut de particula *πρὶν ἄν*" pauca dicam. Hoc „*πρὶν ἄν*" cum coniunctivo non usurpatur ab Aeschine nisi in priore membro adest negandi significatio, ut *οὐ* (II, 2. III, 26), *οὐδείς* (III, 235), *μή* (I, 10. III, 60), *μηδέν* (I, 145), in eoque tempus verbi est praesens vel futurum. Liceat mihi hoc loco afferre, quae optime Hermannus disputavit quaeque ad Aeschinis

quoque usum dicendi pertinent. Dicit enim (opusc. III, 179 sqq.): „„Permirum videatur necesse est „οὐ ποιήσω πρὶν ἂν κελεύσῃς“ recte dici, male autem „ποιήσω πρὶν ἂν κελεύσῃς, cum praesertim neque latina neque aliae linguae huius modi discrimen norint. Recte dicitur et „ποιήσω et οὐ ποιήσω, πρίν σε κελεῦσαι“. Quid ita? Quia hoc idem est ac πρὸ τοῦ κελεῦσαί σε. Atqui quae praecedunt mandatum sive fiant sive non fiant, certum est et planum, quo tempore fiant vel non fiant: fiunt enim aut non fiunt ante mandatum. Longe aliud est „πρὶν ἂν κελεύσῃς“. Quod qui dicit, non solum illud „ante mandatum“ dicit, sed primo subindicat incertum esse utrum tu sis mandaturus annon; deinde autem, quoniam apud Graecos in omni coniunctivo significatio quaedam futuri exacti inest, mandatum illud etiam ut iam datum commemorat. Iam „οὐ ποιήσω, πρὶν ἂν κελεύσῃς“ planum est nihil aliud significare quam ποιήσω ὅταν κελεύσῃς; ποιήσω πρὶν κελεύσῃς profecto nihil aliud, quam „faciam prius, quam quo tempore tu mandaveris, quod nescio an sis unquam mandaturus.“ “ (Opusc. III, p. 179 sq.) Post tempus praesens usurpatur ab Aeschine πρὶν ἂν cum coniunctivo: I, 10: „τὰς παλαίστρας ἀνοίγειν μὲν ἀπαγορεύει μὴ πρότερον, πρὶν ἂν ἥλιος ἀνίσχῃ.“ II, 2: „οὐ πρότερον κατηγορία παρὰ τοῖς ἀκούουσιν ἰσχύει, πρὶν ἂν ὁ φεύγων ἀπολογίας τυχὼν ἀδυνατήσῃ ἀπολύσασθαι.“ III, 26: „ὁ μὲν νομοθέτης τοῦτον οὐκ ἐᾷ, πρὶν ἂν λόγον καὶ εὐθύνας δῷ, στεφανοῦν.“ III, 60: „μήτ᾽ ἀπογνώτω μηδὲν μήτε καταγνώτω, πρὶν ἂν ἀκούσῃ.“ Omnes libri habent hoc loco (III, 60) πρίν, omittunt ἂν, de qua re disputant Kruegerus in gr. gr. 54, 17, 3 et Hermannus „de particula ἂν“ p. 103 sq. particulam autem ἂν apud scriptores Atticos non omis-

sam esse nisi apud poëtas affirmat Heindorfius ad Plat. Phaedonem p. 27 sq.; Lobeckius ad Phrynichum p. 14 sq.; Poppo ad Thucyd. I, 1 p. 141 Thucydidi quoque hoc vindicat. Quam ob rem optimo iure Reisigius in coniect. in Arist. p. 65 sq. coniecit ἂν restituendum esse hoc loco, de quo disputamus. Neglegendum sine dubio est, quod praestant deteriores codices ἀκούσει[η] vel ἀκούσοι (kl). Quare dictum est ab Aeschine „ἀνοίγειν ἀπαγορεύει, πρὶν ἂν — ἀνίσχῃ; οὐκ ἰσχύει, πρὶν ἂν — ἀδυνατήσῃ; οὐκ ἐᾷ, πρὶν ἂν εὐθύνας δῷ; μήτε καταγνώτω, πρὶν ἂν ἀκούσῃ.“ — Semel Aeschines in enuntiato secundario usurpavit modum coniunctivum, ubi praecessit tempus futurum: I, 145: „ἀπόμνυσι μηδὲν τούτων πράξειν, πρὶν ἂν κεφαλὴν ἐνέγκῃ.“ Adde quod III, 235 legitur in editione Turicensi „οὐ μέμνησθ᾽ ὅτι οὐδεὶς πώποτε ἐπέθετο πρότερον τῇ τοῦ δήμου καταλύσει, πρὶν ἂν μεῖζον τῶν δικαστηρίων ἰσχύσῃ“; Meliores codices habent eam scripturam, quam apud Schultzium legimus „πρὶν ἂν ἰσχύσῃ“, codex „n“ praebet ἰσχύσει superscripta littera ῃ, Vat. Laur. ἰσχύσει; „h“ ἰσχύσοι, „l“, codex chartaceus saeculi XV aut XVI, praestat „ἰσχύσειν“. Cobetus (in Nov. Lect. p. 271) omnibus lectionibus reiectis hoc loco corrigendum et accipiendum esse coniecit „πρὶν μεῖζον τῶν δικαστηρίων ἰσχῦσαι.“ Cobetum sequitur Weidnerus. Equidem puto illud, quod plurimi codices praestant, retinendum esse; Cobetus autem omittit contra omnes libros particulam ἄν, corrigit lectionem ἰσχύσῃ in ἰσχῦσαι. Medela opus non est. Nam pendet „πρὶν ἂν ἰσχύσῃ“ non ex verbo μέμνησθε vel ἐπέθετο, sed, quod mihi, quantum scio, aptius videtur esse, ex substantivo „καταλύσει“, quod nomen po-

situm esse pro καταλύειν vel ὥστε τὸν δῆμον καταλῦσαι mirum non est, quod iam recte Bremius indicavit. Quod verum esse facillime cognosci potest, si verba sic vertuntur: „τὸν δῆμον καταλύσει, ὅταν μεῖζον τῶν δικαστηρίων ἰσχύσῃ", quo in sententiarum nexu πρὶν ἄν cum coniunctivo ab Aeschine coniungitur. His, quae dixi de huius particulae „πρίν" usu Aeschineo, adiiciendum est, ab Aeschine semper ἄν post πρίν positum esse et praecedere tum πρότερον (I, 10. II, 2. III, 235) tum non praecedere (I, 145. III, 26. 60).

Atque haec quidem hactenus. Nunc de usu coniunctivi in enuntiatis, quae vocantur, condicionalibus pauca dicenda videntur. De Atticorum usu dicendi confer Matth. § 523—27. Buttm. 139, A. Bernhardy l. c. p. 399. Krueg. l. c. 54, 9—12. Ac primum hoc certum est usurpatas esse ab Aeschine in his enuntiatis particulas ἐάν vel ἄν, alienam autem esse a dicendi usu huius oratoris particulam „ἤν". Confer, quaeso, Baiterum ad Isocr. Paneg. praefat. p. VI. Rehdantz. ad Demosth. IV, 7. Particulam ἐάν ortam esse ex εἰ et ἄν luce clarius patet. ἐάν, quia incertam rem designat esse, cum coniunctivo tantum coniungitur, non coniungitur cum optativo ab optimis scriptoribus Atticis, ne ab Aeschine quidem. Confer Hermannum ad Viger. p. 516 et Bernhardy in synt. p. 412, 14, qui affert „Annot. ad Dionys. Perieg." p. 836 sq. Apud Aeschinem particula ἐάν multo frequentius legitur, quam ἄν, id quod Bremius quoque adnotavit (ad Timarch. 13). Quam saepe ἐάν ab Aeschine positum sit, doceat prima oratio, in qua haec particula omnibus codicibus confirmata est: I, 13. 14. 15. 17. 20. 24. 32. 36. 37. 38. 46. 47. 49. 51. 72 (bis). 73. 87. 90. 91. 111. 123. 124 (bis). 134. 160. 165. 169 (bis). 177.

183. 193. Ex secunda oratione et tertia nubes exemplorum investigari potest. Quam raro autem sit ἄν positum, omnibus locis illustretur, qui exstant apud Aeschinem. Omnibus codicibus confirmatur ἄν pro ἐάν positum his locis: I, 19. 20. 31. 48. 120. 133. 161. II, 104. 159. 170. III, 167. 202. 243. Si autem „καί" proxime additur, ex particula ἄν apud Aeschinem omnibus locis fit per crasin κἄν, quae forma ex καὶ ἄν et καὶ ἐάν orta esse potest; confer I, 31. 176. 184. 189 (bis). II, 5. 59. 154. III, 8. 39. 50. 55. 57. 146. 213. Uno loco varia lectio est, sed in deterioribus tantum libris „ekls" II, 73; nam habent omnes ceteri codices „κἂν ἐντύχῃ", cum hi autem exhibeant „καὶ ἢν τύχῃ". Particulam ἤν nullo alio loco ab Aeschine usurpatam invenimus, ita ut plane abhorreat ab Aeschinis more dicendi, quod iam commemoravimus, et hoc loco legendum est „κἂν ἐντύχῃ". — Particula negativa „μή" plerumque inter ἐάν et pronomen τίς ab Aeschine ponitur; confirmant hoc I, 38. 73. II, 104. III, 213. 243, ubi „ἐὰν μή τις" coniunctum est; ἐάν τι μή autem legitur II, 24. ἐάν τις μή III, 20. Similiter interposita particula μή coniunctum est εἰ μήτις I, 99. 193. III, 11. 17. His de particularum usu expositis explicare conabor, quo modo usus sit Aeschines coniunctivo in enuntiatis, quae has particulas postulant. Quin id, quod Kruegerus in arte grammatica apud scriptores Atticos valere dixit, etiam in Aeschinis orationes cadat, haud scio an nemo dubitet. Ponitur enim particula ἐάν vel ἄν cum coniunctivo iuncta ab Aeschine, si in apodosi indicativus et praesentis et futuri et perfecti temporis vel imperativus usurpatur; si id, quod exprimitur, posteriore tempore fieri posse concedimus, quamquam ex causis externis

pendet, num re vera fiat. Sequitur praesens in apodosi: I, 13: „ἐάν τιν' ἐκμισθώσῃ ἑταιρεῖν πατήρ, κατ' αὐτοῦ μὲν τοῦ παιδὸς οὐκ ἐᾷ γραφὰς ἑταιρήσεως εἶναι.“ 28: „ἐάν τις λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ τὸν πατέρα τύπτων ἢ τὴν μητέρα, τοῦτον οὐκ ἐᾷ λέγειν.“ 19. 37. 38. 49. 51. 72 (bis). 87. 91. 124 (bis). 133. 161. 169. 183. 184. 189 (bis). II, 5. 7. 59. 73. 159. III, 3. 8. 20. 26. 32. 39. 48. 57. 67. 93. 142. 158. 193. 207. 213. 229. 241. 243. 244. — I, 31. II, 48. III, 36. 47.

Saepissime invenitur tempus futurum in apodosi, confer I, 17: „ἐὰν σκοπῆτε, εὑρήσετε.“ 24. 36. 47. 48. 73. 134. 90. 123. 169. 176. 177. 193. II, 24. 44. (bis). 94. 100. 115. 126. 154. 183. III, 50. 55. 60. 136. 146. 152. 155. 167 (ter). 168. 180. 242. 245. 248. 254 (bis). His omnibus exemplis satis confirmatum videtur, I, 46, συνήσετε aut συνείσεσθε legendum esse, quo loco editores Turicenses coniecerunt σύνιστε; Frankius, vir doctissimus, in praefat. p. VI editionis suae συνήσετε voluit et conferri iubet Weber. ad Demosth. Aristocr. 21. — Varias librorum lectiones (συνείδετε aut συνειδήσετε aut συνείδεται aut συνίδετε) reiiciendas esse omnes viri docti consentiunt, cum haec dicendi forma aliis locis Aeschineis non confirmetur, — Etiam III, 8: „κἂν ἀκούσητε, εὖ οἶδ' ὅτι ψηφιεῖσθε“ habent codices varietatem lectionum; nam si lectiones perspexeris, quas Schultzius affert in editione sua, intelleges codices „ehkl“ et corr. „a“ praebere „ἀκούητε“, „pq“ autem „ἀκούοιτε“, etiam F, ceteros „ἀκούσητε“. Neque vero quidquam hoc loco usurpari posse nisi „ἀκούσητε“, sententiarum serie firmatur. Verba „τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι λόγων“ ad tempus futurum pertinent; coniunctivum autem aoristi in his enuntiatis positum esse a Graecis pro eo tempore,

quod vocatur a Latinis futurum exactum, Kruegerus docuit dilucide in arte grammatica 53, 6, 5 et in Analect. critic. I p. 160, Quamquam in apodosi adhibitum esse constat tempus perfectum, tamen dicendi ratio talis est, ut ἐάν cum coniunctivo iungatur. Loci sunt I, 20: „ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα πράττῃ, γραφὰς ἑταιρήσεως πεποίηκεν. 165: „ὁ δὲ νομοθέτης, ἐὰν ὁπωσοῦν μίσθωσις γένηται, κατέγνωκε τοῦ πράξαντος αἰσχύνην.“

Rarius usurpatum esse ab Aeschine in apodosi imperativum his locis comprobatur: I, 20: „μηδὲ γνώμην εἰπάτω μηδ' ἂν δεινότατος ᾖ λέγειν.“ 32. 111. 120. 160. II, 7. 68. 70. 127. 170. III, 8. 201. 202 (bis). 205. 232. 244.

Adversari videntur loci I, 14 et II, 104. — Loco I, 14 haec verba exstant: (ἔθηκε) „τὸν τῆς προαγωγείας (νόμον), τὰ μέγιστα ἐπιτίμια ἐπιγράψας, ἐάν τις ἐλεύθερον — προαγωγεύῃ.“ Hoc loco verba „ἐάν τις ἐλεύθερον προαγωγεύῃ“ extra sententiae seriem dicta neque pendere ex ἐπιγράψας censeo, sed afferuntur, quod sentiam, ex legis formula, quod saepius fieri apud Aeschinem quis est qui neget. Nonne confirmari videtur haec mea sententia locis, ut III, 31: „ὁ δὲ ῥήτωρ γέγραφε τὸν ὑπεύθυνον στεφανοῦν οὐ προσθεὶς ἐπειδὰν δῷ λόγον καὶ εὐθύνας“ vel III, 203: „ἐξήλεγξα γράψαντα Δημοσθένην ὑπεύθυνον ὄντα στεφανοῦν οὐδὲν προβαλόμενον οὐδὲ προσεγγράψαντα ἐπειδὰν δῷ τὰς εὐθύνας.“ — — II, 104: codicibus obsequendum est et legendum „νῦν δὲ αὐτοῖς μὲν κατέλιπον τὴν εἰς τὸ ἀφανὲς ἀναφοράν, ἂν μὴ πείθωσιν.“ Hoc „τὴν ἀναφοράν“ locum obtinere verbi ἀναφέρειν verisimile est, ex quo pendent verba „ἂν μή τι πείθωσιν“; confer, quae supra dixi ad III, 235: „οὐ μέμνησθ' ὅτι οὐδεὶς πώποτε ἐπέθετο πρό-

τερον τῇ τοῦ δήμου καταλύσει, πρὶν ἂν μεῖζον τῶν δικαστηρίων ἰσχύσῃ“ (p. 29).

De optativi usu in his enuntiatis condicionalibus disputant quam accuratissime Buttmannus l. l. 139; A. n. 22—30. Bernhardy in „synt.“ p. 410 sq. Krueg. 54, 9—12. In his enuntiatis sexcenties a scriptoribus Graecis usurpatam esse particulam *εἰ*, quis est qui nesciat? *„εἰ“* autem cum optativo coniunctum apud Aeschinem quoque oratorem condicionem ita indicat, ut fieri possit, de quo est dubitatio. In medium proferam locos ex Aeschinis orationibus petitos, qui demonstrant huius oratoris usum dicendi: I, 74: *„εἰ δή τις ἔροιτο, εὐθὺς ἂν εἴποιτε“* vel 80: *„εἰ δή τίς μ' ἔροιθ' ὑμῶν, εἴποιμ' ἄν“* vel 131: *„εἰ γάρ τις — δοίη, οἶμαι ἂν αὐτούς, εἴ τις μὴ προειπὼν τοῦτο ποιήσειεν, ἀπορῆσαι;* alia exempla sunt I, 38. II, 51. 88. 143. III. 24. 91. 178. 231.

Tum invenimus saepius apud Aeschinem praeteritum tempus verbi cum infinitivo et praesentis et futuri coniunctum; III, 82 et 83 haec leguntur: *„περιέστησε τὰ πράγματα, ὥστ', εἰ μὲν μὴ πέμποι πρέσβεις, καταφρονεῖν αὐτὸν ἔφη τῆς πόλεως, εἰ δὲ πέμποι, κατασκόπους πέμπειν.“* III, 191: *„ἔφη γάρ, εἴ τις εἰσίοι γραφὴν εἰς δικαστήριον, εἶναι ὅμοιον τοὔνομα καὶ τοὖργον.“* — III, 81: *„ἡγήσατο, εἰ κατήγορος ἀναφανείη, τὸν Φιλοκράτην ἀπολεῖσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους συμπρέσβεις κινδυνεύσειν.“* III, 146: *„εἰ δέ τις ἀντείποι, διαδικασίαν ἔφη γράψειν.“* I, 143: *„ἐπαγγείλασθαι γὰρ αὐτὸν εἰς Ὀποῦντα σῶν ἀπάξειν, εἰ συμπέμψειεν αὐτὸν εἰς τὴν Τροίαν καὶ παρακάθοιθ' αὐτῷ* (ubi codex „b“ et „a“ habent *„παρακαταθεῖτο“*, Laur. autem *παρακάθοιτο;* confer Voemel, proleg. Dem. § 62). Mirum est, quod aliquis ea verba, quae III, 90 leguntur *„μίαν ἐλπίδα λοιπὴν κατεῖδε σωτηρίας*

ἔνορκον λαβεῖν τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων σύμμαχον ὀνομασθέντα βοηθήσειν, εἴ τις ἐπ' αὐτὸν ἴοι“ torserit. Bernhardy enim (in syntaxi p. 399) ad coniecturam confugit et pro *ἴοι* scriptum fuisse suspicatus est *ἴῃ*, quamquam omnes libri praestant *„εἴ τις ἴοι“*. Tantum abest, ut illam coniecturam probem, ut Bremii, docti viri, exemplum secutus illud *εἰ* cum coniunctivo iunctum ab Aeschinis et ceterorum Atticorum usu dicendi alienum esse haud ignorem. Ne *„ἐάν τις ἴῃ“* huic sententiae aptum est. Explicemus breviter, quid sit discrimen inter *„εἴ τις ἴοι* et *ἐάν τις ἴῃ“*. Comparemus locum orationis eiusdem (III, 93), ubi sententia huic dicto non dissimilis explicatur. Dicit enim Aeschines ibi haec verba: *προσγράψας Χαλκιδέας βοηθεῖν, ἐάν τις ἴῃ ἐπ' Ἀθηναίους.* Ad priorem locum Bremius (in editione sua) haec addit: „Loquitur de re futura, quae cogitari possit ut profectura a compluribus, quod inest in *„εἴ τις“;* si libri offerent *„ἐάν τις ἴῃ“*, res indicaretur, quam ut inevitabilem futuro tempore Callias cognoscebat.“ Equidem verterem illud *„εἴ τις ἴοι“*, ut patrio sermone utar, „wenn etwa; wenn vielleicht; wenn einmal der Fall eintritt, dass irgend einer zu Felde zieht“; *„ἐάν τις ἴῃ“* autem optime responsurum puto nostro „sobald irgend einer zu Felde zieht, dann kommt er zu Hilfe“. Priori loco (III, 90), si sententiarum seriem accuratius spectas, nihil aptum est nisi librorum scriptura *„εἴ τις ἴοι.“*. Callias enim existimat, si Athenienses socii sint sibi, fieri non posse, ut arma ab aliquo hoste sibi inferantur, sed se tutum esse ab hoste Atheniensibus tutoribus. — Similiter imperativum futuri sequitur *εἰ* cum optativo III, 110:
οι
„εἴ τις τάδε παραβαίνοι (variae lectiones *παραβαίνει* vel

παραβαίνῃ vel *παραβαίνων* deteriorum codicum plane neglegendae sunt), *ἐναγὴς ἔστω.* Etiam III, 90: haec legenda sunt „*ὃ πρόδηλον ἦν ἐσόμενον, εἰ μὴ ὑμεῖς κωλύσαιτε,* quamquam codices *κωλύσετε* habent. Marklandus rectam corrigendi huius loci viam ingressus est, cum *κωλύσαιτε* coniecit, quae coniectura erat notitia marginalis in codice Bernensi, fortasse coniectura Iosephi Scaligeri adscripta.

Ut repetitionem rei fieri solitae significet, particulae *εἰ* adiungit Aeschines optativum. Nam III, 192 dicit orator haec: *ἡλίσκονθ' οἱ παράνομα γράφοντες, οὐκ εἰ πάντας παραπηδήσειαν τοὺς νόμους, ἀλλ' εἰ μίαν μόνον συλλαβὴν παραλλάξειαν.*“ Paulo post illa verba haec ab oratore scripta sunt (III, 194) „*ἐγράφοντο γὰρ οἱ φίλοι τοὺς φίλους, εἴ τι ἐξαμαρτάνοιεν εἰς τὴν πόλιν.*“

Haud raro ab Aeschine enuntiationes, quae eiusmodi condicionem indicant, ut particula *εἰ* cum optativo opus sit, inter alia enuntiata varii generis interponuntur, quae ipsa optativum postulant. Opus autem est particula *εἰ*, si quae res simpliciter ad cogitationem refertur; *ἐάν* autem experientiam significat. III, 65: „*ἐπράττετο, ἵν', εἴ τινες προσέχοιεν, εἰς τὴν ἐσχάτην ἐμπέσοιεν ἀθυμίαν.*“ III, 70: „*προσέγραψεν — δύο μέγιστα προκαταλαμβάνοντες, ἵν', εἰ παραβαίνοινθ' αἱ συνθῆκαι, μὴ μόνοι μηδ' ἀπαράσκευοι πολεμήσαιμεν.*“ II, 157: *ἐπεῖπεν, ὡς δεινὸν εἴη, εἰ εὐγενὴς καὶ μεγαλόψυχος γένοιτο, οὐ κατάσχοιμι τὴν ὕβριν, ἕλκοιμι τῶν τριχῶν καὶ μαστιγοίην.*“ II, 57: „*ἵνα κοινῇ πολεμοῖεν, εἰ δέοι, καὶ τῆς εἰρήνης, εἰ τοῦτ' εἶναι δοκοίη συμφέρον, μετέχοιεν.*“ II, 12: „*ἐδεῖθ' ὑμῶν πρεσβευτὴν ἑλέσθαι, ἵν', εἴ πως δύναιτο, ἀπολάβοι.*“ Eodem pertinent sententiae interiectae, ut

εἴ πως εἴη δυνατόν (I, 146); *εἰ μὴ δυνατὸν εἴη* (II, 114); *εἰ τύχοι* (III, 42).

Pauca esse dicenda videntur de interrogationibus, quae vocantur, obliquis vel indirectis, in quibus coniunctivum usurpari ab Atticis scriptoribus non licet, contra consuetudinem Latinorum, qui in hoc sensu utuntur coniunctivo. Ab Aeschine non adhibetur coniunctivus in his enuntiatis, nisi etiam in oratione directa requiritur hic modus, id est in interrogationibus dubitativis. Probetur hic dicendi usus exemplis ex orationibus petitis: I, 76: „*οὐ γὰρ ἔχω, τίνα τρόπον εὐφημότερον μνησθῶ.*“ II, 64. 68. — III, 202 apud Schultzium hoc legimus „*μηδεὶς καταλογιζέσθω, ὃς ἂν ἐπανερομένου Κτησιφῶντος, εἰ καλέσῃ Δημοσθένην, πρῶτος ἀναβοήσῃ „κάλει, κάλει*“. Hic locus felicissime persanatus est Sauppii coniectura „*ἦ καλέσω*“. Nam libri „agmnp“ et Ioannes Siceliota Walzii VI p. 369, 19 habent „*εἰ καλέσω*“; „cdfqz“ „*εἰ καλέσει*“; „*εἰ καλέσειε*“ „ehkl“; *ἐκαλέσει* Barb., „*εἰ καλέσοι*“ Aldina, „*εἰ καλέσῃ*“ Bekkerus coniecerat. Haud parva igitur varietas lectionum! Sed quidquid est, tamen „*ἦ καλέσω*“ accipiendum esse puto, quia proxime accedit ad scripturam codicum „agmnp“, praesertim cum sententiarum rationi maxime sit accommodatum.

In his interrogationibus indirectis saepissime ab Atticis scriptoribus optativum usurpatum esse quis est quin sciat? Eundem dicendi usum invenies apud Aeschinem, si comparaveris I, 84: „*ἤρετο τὸν δῆμον, εἰ οὐκ αἰσχύνοιντο γελῶντες παρούσης τῆς βουλῆς.*“ III, 90: „*ἀπορῶν ὅτι χρήσαιθ' αὐτῷ*“, quae verba admonent unumquemque loci ex Xenophontis libris desumpti (Hellen. VII, 4, 39) „*ἠπόρει, ὅτι χρήσαιτο τῷ πράγματι.*“ Disputant de hoc dicendi usu accuratius Kruegerus,

Buttmannus, alii. Quomodo autem dici possit III, 225: „ἐπερωτᾶν με μέλλει, τίς ἂν εἴη ἰατρός" et III, 230: „ζητῶ, πρὸς τί ἂν ἀποβλέποντες ἀποψηφίσαισθε τὴν γραφήν", nemo certe non intellegit.

Restat, ut de enuntiatis consecutivis pauca dicam. Sed hoc paucis absolvere possum. Particula, quae indicat consecutionem, ὥστε, ab Aeschine usurpatur et cum indicativo et cum infinitivo iungitur. Sed illud ὥστε coniungit orator etiam cum optativo illa quidem ἂν particula addita, ita ut ille mos urbani sermonis Atticorum sese ostendat, quem in omnibus fere enuntiatis et primariis et secundariis sexcenties invenimus quemque iam supra commemoravi. Unum exemplum, quod quidem in orationibus Aeschineis exstat, hoc probet: I, 57 leguntur haec verba: „καὶ γὰρ εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα δεινὴ ἡ κακία καὶ ἀπιστία, ὥστε καὶ ἐξ αὐτῶν τούτων εἰκότως ἂν μισοῖτο," ita ut „ἂν μισοῖτο" idem valere videatur atque „μισεῖται". Confer, quaeso, I, 72, ubi ὅστις ἂν idem valet atque ὥστε. Hoc loco mihi liceat breviter dicere de reliquo usu particulae ὥστε Aeschineo: coniungitur cum indicativo temporis praesentis I, 145. II, 159. III, 21. 144. 212. 215. 218 (I, 84. II, 19. 28 codices variam lectionem praebent); futuri II, 24. 44. — I, 128; perfecti I, 124. III, 212; imperfecti I, 25. 157. 175. III, 10. 82. 146; aoristi I, 114. 145. 182. II, 73. III, 94; coniungitur cum infinitivo et praesentis (I, 38. 48. 72. (140). 154. II, 39. 78. 158. 168. III, 9. 46. 53. 76. 91. 174. 223) et futuri (I, 174. II, 21. III, 96. 256.) et perfecti (III, 37) et aoristi (I, 26. 59. II, 77. 141. 142. 169. III, 143. — Unum exemplum apud Aeschinem exstat, ubi ὥστε idem significare videtur, quod ἐφ' ᾧτε; coniungitur nimirum, ut haec particula, cum infinitivo; locus

est in oratione prima (I, 46), ubi haec leguntur: „εἰ γὰρ ὁ μὲν πράξας αἰσχυνεῖται καὶ προαιρήσεται χιλίας μᾶλλον δραχμὰς ἀποτῖσαι τῷ δημοσίῳ, ὥστε μὴ δεῖξαι τὸ πρόσωπον τὸ ἑαυτοῦ ὑμῖν κτἑ, quae verba rectissime, ut mihi quidem videtur, interpretatur scholiastes, cum dicat: „ἐὰν μὴ ὑπακούσῃ πρὸς τὴν μαρτυρίαν, ὡς τούτου ἐπιτιμίου ὡρισμένου τοῖς μὴ ὑπακούσασιν."

Haec habui, quae dicerem de coniunctivi et optativi in enuntiatis secundariis usu Aeschineo. Breviter dicere possumus: ab Aeschine in enuntiatis, in quibus μή post verba timendi, particulae ὅτι, ὡς; ἵνα, ἵνα μή, ὅπως μή, μή; ὅς, ὅστις, ὅσος, ὁποῖος, ὡς, ὅπως, ὅπου postulentur, ubi praecedat tempus praesens, futurum, perfectum aut tempus praeteritum cum infinitivo praesentis, futuri, aoristi coniunctum, usurpatum esse modum coniunctivum particula ἂν addita; post tempus autem praeteritum modum optativum sine illa particula. In enuntiatis, ubi ὅταν, ὁπόταν, ἐπειδάν, ἕως ἄν, πρὶν ἂν requiruntur, semper invenies coniunctivum. Cum ἐάν vel ἂν semper Aeschines coniunctivum, εἰ optativum; cum ὥστε et indicativum et infinitivum coniunxit; si ὥστε idem est, atque ἐφ' ᾧτε, cum infinitivo tantum coniunxit. Sed haec hactenus.
